

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

III. Iudeis quocumque titulo non licet parochias occupare, nec a Christianis sunt eis homagia praestanda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ibi accedere præsumatis. Sed sicut iustitia exigit, & æquitas ratio postulat, in qualibet causa Christiani, & maxime clerici, ad minus duorum vel trium testium, qui sint probatae vita & conuersationis, admittatis, iuxta illud dominicum: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Quia licet quædam sint causæ, quæ plures quam duos exigant testes, nulla tamen est quæ vnius tantum, quamuis legitimo, testimonio terminetur. Ad hæc præsentium auctoritate tibi significamus atque præcipimus, quatenus omnibus Christianis, qui sunt in vestra iurisdictione, penitus interdicatis: & si opus fuerit, ecclesiastica districcione prohibeatis, ne ipsi Iudæorum seruitio assidue pro aliqua mercede se exponant. Obstetricibus etiam & nutricibus Christianis omnibus prohibere curetis, ne infantes Iudæorum in domibus eorum nutrire præsumant: quia Iudæorum mores & nostri in nullo concordant, & ipsi de facili ob frequentem conuersationem & assiduam familiaritatem, instigante humani generis inimico, ad suam superstitionem & perfidiam, simplicium animos inclinarent. Præterea parochianis vestris usuram accipere omnibus modis interdicatis: quia usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestatur. Quod si monitis vestris parere contempserint, si clerici sunt, eos ab officio & beneficio suspensos, cum literis vestris rei veritatem continentibus, ad præsentiam nostram mittere non differatis. Si laici fuerint, usque ad dignam satisfactionem vinculo excommunicationis eos adstringatis.

C A P. III. *Idem.*

Non sine multa admiratione auditur & creditur, quod Iudæi parochias ecclesiarum per prouinciam vestram, emptionis siue conductionis, aut etiam pignoris titulo, contemptu Dei & fidei Christianæ institutionis, detinent occupatas: & cum reditus eisdem ecclesiis non soluantur, haec ecclesiarum penitus deperisse iam noscuntur. Quia igitur ad ea corrigenda quæ sunt diuinæ maiestati contraria, & a fidei Christianæ institutionibus aliena, promptos nos decet & diligentes existere: fraternitati tua, &c. quatenus si qui Iudæi sunt in prouincia vestra, qui tali modo parochias detineant, ipsos ad eas dimittendas, requisito prius & ha-

ANNO CHRISTI  
1179. bito consensu carissimi in Christo filii nostri Henrici illu-  
stris Anglorum regis, arctius compellatis: aut si receptas  
detinuerint aut parochias amodo receperint, ipsos cum  
omni distictione cogatis, ut ecclesiis, quarum eadem pa-  
rochiae sunt, debitos & collectos redditus cum integritate  
persoluant, prohibentes omnibus Dei fidelibus sub inter-  
minatione anathematis, ne quis Iudaeis hominia vel fideli-  
tates faciat: quoniam contrarium est sacris Canonibus, ut  
Christiani debeat Iudaeis adstringi. Si quis vero contra in-  
hibitionem nostram venire presumperit, contradictione  
& appellatione cessante, in eos excommunicationis sen-  
tentiam proferatis.

C A P. IV. *Idem.*

Ad haec cum sacris Canonibus cautum sit, ne Iudei Chri-  
stiana mancipia habeant, praesentium tibi auctoritate præ-  
cipimus, quatenus sublato appellationis remedio anathe-  
matis interminatione iubeas publice, ne quis Christianorum  
alicuius Iudei mancipium efficiatur. Si quis autem  
contra prohibitionem tuam venire presumperit, \* eos  
sublato appellationis remedio, ecclesiastica censura com-  
pellas.

DE MONACHIS ET MONIALIBVS PARS XXI.  
SINE PROBATIONE SVSCEPTIS.

Item in probatione positis, recedere  
volentibus.

C A P. I.

**A**d audientiam nostram noueris peruenisse, quod ere-  
mitæ de monte Filiano quosdam pueros infra deci-  
mum quartum annum in tantum seduxerint, quod qui-  
dam illorum, suasionibus eorum assensum præbentes, ad  
ecclesiam illorum accesserunt. Quos cum statim religionis  
habitum induissent, unus prædictorum puerorum T. no-  
mine, statim pœnitens quod habitum ipsum suscepisset, id  
quod fecerat, suis parentibus intimauit: qui ad locum  
ipsum, mora postposita, accedentes, cum exinde extra-  
ixerunt: & cum stetisset ibi, nisi per vnam noctem prout  
acepimus, præfati eremitæ & quidam alii eum non per-